

9. 17. num. 8. *M*

20

14
ORDINIS PHILOSOPHICI

IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI

H. T.

**DECANVS
IOANNES AEGIDIUS
STRAVCH**

PROF. IVRIS NATVRAE ET GENTIVM PVBL.
ET FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORDIN.

NOBILISSIMOS DOCTISSIMOSQVE
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE

CANDIDATOS

A D

**SVMMOS PHILOSOPHIAE AC LAVREAE
POETICAE HONORES**

XVI. CALENDAS NOVEMBRES

CAPESSENDO S

HUMANISSIME INVITAT

PRAEMVNITA BREVI COMMENTATIONE

DE OBLIGATIONE INTERNA IN IVRE
NATVRAE SVFFICIENTE

WITTEBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI

ACADEMIÆ A TYPIS

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE



OBLIGATIONE INTERNA IN IVRE NATVRAE SVFFICIENTE

 QVM aduersarii principio perfectionis, in quo
III. WOLFIVS primum IVRIS NATVRAE
fundamentum bene iecit, fordidum ac
foedum utilitatis propriae studium op-
probro dare summa ope conati sint; meam qualemcum-
que operam nuper in vindicando illo ab utilitatis spe-
cie haud frustra fuisse collocatam spero. Quonam au-
tem argumento tela dissentientium fortius reprimi pos-

A *отмечавшим* **funt,**



funt, quam interna actionum liberarum honestate cum studio uerae perfectionis semper coniuncta? Siquis enim actionibus per se honestis studet, suas non modo, sed et aliorum perfectiones curae cordique habet, ac uere aliorum saluti inferuit. Propterea aliter sentientes *principium perfectionis*, ac si illud actionibus interna honestate conspicuis in IVRE NATVRAE probandis minime sufficeret, sine causis idonea reieciſſe arbitror. Omnes potius, qui et malarum actionum fugam et bonarum exercitationem ad ueram perfectionem requiri, animo ponderant, mihi largientur, *principium perfectionis* cunctis officiis naturalibus demonstrandis plene respondere, siquidem omnia, quaecunque IUS NATVRAE nobis uel facienda uel omittenda proponit, ad hoc duplex actionum genus redeunt, consilioque benignissimi legislatoris Dei sapientissimo ad nostram felicitatem his subsidiis obtainendam tendunt.

MINIME autem dissimulo, haud exiguos ab HEINECIO elegantissimo I. N. interprete mihi iniectos fuisse scrupulos, dum obligationem internam, quae ex ipsa actionum conditione oritur, in IVRE NATVRAE minus sufficientem rationibus non prorsus prima specie contemnendis probare studuit. a) Dubitatio Viri Summi eo spectat: Existimat nimirum obligationem internam bonitatem tantum

a) ELEMENT. IVR. N. ET G. L. I. C. I. §. VIII.

tum cum actione connectere, adeoque nos ad agendum
 ideo mouere, quod actio nos conseruatura sit et perfe-
 ctura. Ex his tanquam ex concessis rationes dubitandi
 ita conficit: Homines natura ita sunt comparati, ut bo-
 num apparens saepe pro uero amplectantur, sicut Ixion
 nubem pro Iunone, hincque fieri nequit, quin norma
 cum obligatione interna coniuncta incerta futura sit, ad-
 eoque indigna, quae normae nomine ueniat. Magnam
 omnino uerisimilitudinem p[ro]fessum argumentum, quo
 AVTOR eximiae gloriae sententiam suam stabiliri et cor-
 rob[or]ari existimat. Si enim boni malique criterium in-
 certum est, sola bonitas actionis ac prauitas, obligatio in-
 terna norma etiam incerta nititur, quia illa ex mente AV-
 TORIS a bonitate et prauitate actionum sola motiva
 sumit. Quis uero normam incertam disciplinae iuris na-
 turalis sufficere posse contendet?

NONNE hac ratione de *principii perfectionis* praestan-
 tia actum erit, quod ab obligatione interna omne quidem
 robur accipit, sed illud etiam amittit, ut primum obliga-
 tio interna sine externa parum poterit efficere? Si enim
 actionum consecutaria nos adeo fallere queunt, ut uel bona
 apparentia cum ueris, uel malorum opinionem cum malis
 permisceamus ueris, nostram aliorumque perfectionem cum
 periculo sequimur, ut in uoluntate melius sit diuina acqui-

A 2

escere.

escere. Sed maiori cautione de hac quaestione nobis est iudicandum, nisi in uerborum pugnas, quae plerumque cruditas controuersias maioribus implicare difficultatibus, quam dirimere solent, ac praecipue hanc item tantis obruerunt tenebris, delabi uelimus. Ordinar igitur ab notionibus, quae cum aduersario doctissimo nobis prius transigendae uidentur, quam ipsas rationes probandi ab illo allatas discutere atque conuellere licet. Alias enim nobis ipse concedit, alias nos in dubium reuocamus. Quo igitur manibus Viri post fata insignis iusta praestemus, quoque omnem uerborum ambiguitatem ordine commendo uitemus, consensum eius atque dissensum debita cum diligentia dispungamus.

CONSENTIT HEINECCIVS nobiscum in notione generali obligationis actiuae, quam cum LEIBNITIO et WOLFIO nexum motiuorum cum actione libera recte uocat. b) Merito autem aequiorem hic se praebuit aliis, qui hanc notionem longe quaesitas ob rationes reiiciunt, re ipsa consentientes. c) Quod si cui dubium uidetur, eorum praesertim, qui in PVENDORFII castra transeunt, huius ipsius testimonium sane quam luculentum afferam, d) ubi

b) l. c. §. VI.

d) IVR. NAT. ET GENT. L. I. C. VI.
c) cf. SCHÖTTEN Disp. de notione obligacionis.

§. 5. edit. Mason.

ubi celeberrimus I. N. doctor *necessitatem moralem mentibus, de futuro deliberantibus, inferri posse negat, praeter cogitationes boni malique, aliis aut nobis ex iis, quae facimus, profecturi.* Hae uero sunt motiva, cum liberis actionibus connectenda, ut ratio sit in illis, cur agamus, uel non agamus. Quaelibet enim actio aut bonas aut malas consecutiones secum habet coniunctas. Bonae nos ad actionem inuitant, malae e contrario nos ab illa deterrent. Simil igitur commoda uel incommoda cum ipsis actionibus connexa animis nostris proponimus, ad actiones utiles suscipiendas noxiisque fugiendas his ipsis rationibus coimmouemur, nostramque obligationem sentimus. Aduersariis autem, externam modo ac positiuam obligationem ex IVRE CIVILI cogitantibus, non potuit non notio obligationis generalis displicere, utpote quam Ill. wOLFIVS ad obligationem tam internam quam externam bene accommodauit. Accuratus igitur utramque animo discernens HEINECCIUS notionem a WOLFIO informatam, qua nihil sanius reperitur, nobiscum retinuit. Si enim liberam hominis uoluntatem cum effectu obligationis componamus, qui necessitatem moralem seu obligationem passiuam gignit, sapientiam creatoris non satis possumus admirari, qui libertatem hominis per obligationem, uel ab ipsa actione, uel a uoluntate superioris prouenien-



tem, imminui secundum rationem uoluit. Beneficio liber-
tatis naturae ratione praeditae carere non poterant, quia
alias cognitio boni malique, ope rationis acquisita, illis ni-
hil profuisset. Quare homini liberum a Deo concessum
est arbitrium, ut bonum ab intelligentia monstratum eli-
gere, ac malum euitare possit. Homo etiam pro hac sibi
ingenerata libertate acerrime, atque uehementius saepe,
quam pro uita ipsa, pugnat, neque eam dimittit, nisi pro-
positis maioribus bonis malisque. Namque ratione sua
bene usus semper malum bono, ac bonum maius minori,
quod, cum maiore comparatum, malum putatur, praefert.
Haec autem libera electio nihil amittit, quando homo, na-
tura boni amans, et a malo abhorrens, ad illud amplecten-
dum et hoc fugiendum rationibus, in utroque comprehen-
sis, permouetur. Libertas enim per motiu agendi, uel
non agendi, minime tollitur, sed potius in officio contine-
tur. Propterea Deus ipse sapientibus mortalium legislato-
ribus exemplum praeiuit, ac decalogum, legum praestan-
tissimarum summam, motiuis communiuit efficacissimis.
Quemadmodum enim officia, in illo nobis imperata, lar-
gissimiis praemiis se remuneraturum promisit; ita uiolato-
ribus eius seuerissimas poenas comminatus est. Quibus
decalogo adiectis promissionibus et comminationibus ho-
mo ad liberas actiones suas lege diuina conformandas gra-

uiter

uitus obligatur, nec tamen cogitur. Vituperent igitur aduersarii notionem obligationis *Wolfianam*, utcunque uelint, nihil tamen iure in illa desiderari poterit, quod ad distinctam et plenam omnis obligationis intelligentiam requiratur.

QVEMADMODVM uero celeb. HEINECCIVS definitionem obligationis satis certam retinuit; ita duas obligationis species commemorans, a uero non deflectit. Fundamentum enim obligationis generalis, in suas classes descendae, a ratione eam efficiente rite sumvit, ideoque obligationem internam ab ipsa actionum liberarum conditione, externam uero a uoluntate superioris, mallem dicere aliorum, propter IVS GENTIVM, sibi aequalium, repetit. e) Omnis scilicet obligatio motiu cum liberis actionibus nostris connectit. Haec motiu, si obligationem efficere debent, ratione sufficiente carere nequeunt. Illa igitur uel in ipsis actionibus, uel extra illas quaerenda erit. Si actio aliqua per se ad agendum nos mouet, causam obligationis, quae ideo uocatur *interna*, continere debet. Sin uoluntate alterius ad aliquid suscipiendum, uel omnitem adducimur, tunc ratio obligationem nostram efficiens a motiu externo proficiscitur, quod eiusmodi obligationi nomen *externae* dedit. Sic iustitiae bonitas lucet ipsa per

se,

e) l. c. §. VII.



se, hominis naturae sociali consentanea, unde uiri iusti internam sumunt obligationem. Accedit externa per IVSTI-
NIANI praecepta iuris, *alterum non laedere, suum cui-
que tribuere f)* Ratio igitur diuidendi obligationem ab HEINECCIO usurpata, est ipsa obligationis uel *inter-
nae* uel *externae* caussa efficiens. Quam si quis negare uel-
let, aut suae ipsius experientiae repugnaret, ac *principio
rationis sufficientis*, quae uel *interna* est, uel *externa*, aut
coecum beluarum instinctum in agendo sibi tribuere co-
geretur, aut fati necessitate uel tyrannorum homines de-
uinciret. Haec tenus clar. HEINECCIVS bene distinxit,
ac multis aliis IVRIS NATVRAE doctoribus ordine et
perspicuitate explicandi superior fuit, adeo, ut omnium
confessionem iure postulare possit. Sed liceat mihi a sen-
tentia, quam de obligatione interna in sequentibus non
modo posuit, sed et argumentis vindicare uoluit, discede-
re, ac, quid in illa minus exploratum mihi uideatur, ueri-
tatis amore, non inani litis gloria, indicare.

EXISTIMAT Vir doctissimus obligationem internam
homines ad actiones bonas, externam ad iustas impellere.
Quae si differentia inter utramque obligationem uere in-
tercederet, interna parum omnino aut nihil apud homines
iusti efficeret, ut legibus naturae obsequium praestaretur
neceſ-

f) INSTITVT. Tit. I, §. 3.

necessarium. Utiles actiones quisque iudicaret bonas, non ipso iure faciundas, mala putaret noxia, neque tamen iure fugienda. At uero multo nobiliores obligatio interna producit effectus in hominibus, qui aequitatem naturalem amant, et ad illam actiones suas dirigunt, licet effrenati improborum mores obligationem externam postulent. Quoniam igitur actiones iustae ab obligatione interna minime sint remouendae, fontem praeconceptrae HEINECCII sententiae inuestigare operae erit pretium. Hunc uero represaille mihi uideor in notione uocabuli *iuris*, quam AVTOR in scholio §. IX. exposuit. Negat ibi ius sine relatione ad legem uel obligationem externam concipi posse, propterea quod ipsa huius uocis origo id satis ostendat. Lubens illi largior, proprietatem *etymologicam*, quam ex consueto doctrinae suae elegantioris apparatu accurate disceperat, sententiae eius minime repugnare. Recte enim ius a *in-bendo* deriuat, non, sicut MAGIVS, ab HEINECCIO laudatus, putat, quia iuberet et praecipit, sed quia iubetur ab eo, qui summa gaudet potestate. Apud Romanos saltem uim iuris obtinuit, quicquid iusserat populus, penes quem olim fuit arbitrium reipublicae summum, ut magistratus eum rogare deberet. Ideo leges *rogationum* quoque nomen habent. Sic uocis origo rationem oblicationis externae, quae in uoluntate alterius consistit, continet.



tinet. Cur uero proprietatem huius uocis *civilem* neglegimus, quae praeter necessitatem nunquam deseriri debet, index potestatis uocum longe tutior? Sed AVT OR clarissimus, sententiam suam uix illi conciliari posse, animaduertens, non inuitus *usum loquendi* praetermississe uidetur. Illi enim in lectione ueterum autorum uersatissimo haud incognitum esse potuit, quoties uel unus PLAVTVS solam aequitatem *bonum ius* uocauerit. Locum ex *Comico* in ceteris compluribus euidentissimum afferre liceat, qui STICHO g) legitur, ac seruum ita loquentem introducit: *Bonum ius dicis: Impetrare oportet, quia aequum postulas.* Quae formula quo pertineat, interpres PLAVTI multo eruditissimus IO. FRID. GRONOVIVS in *Lectionibus Plautinis* declarat. b) *Ius dicere, non accipitur, ut uulgo, scilicet cum de praetore uel magistratu loquimur, sed pro eo, quod est uulgatum, dicis, quod aequum et iustum est, quod rationem habet.* Sic *ius orare, ius est, pro aequum uel iustum.* Praeter hanc consuetudinem loquendi a scriptoribus ueterum latinis frequentatam, dictio in usu uitiae quotidiana saepius occurrens, rem bene confirmat: *Est homo sui iuris, quam nemo alio sensu interpretabitur, nisi hoc: a uoluntate alterius non dependet, sibi ipse, quid faciendum, praescribit.* Sic in utroque casu uocabu-

g) AG. V. Scen. IV.

b) pag. 143.

uocabulum *iuris* obligationem externam excludit, dum neque aequitas, neque independentia, ut barbara uoce utar, illam sua ui complectitur. Quod si HEINECCIVS recordatus fuisset, in Plautina Iurisprudentia non hospes, ius sine obligatione externa posse concipi, uix negasset. Sicut uero notionem huius uocis a proprietate eius *etymologica* repetere ipsi erat licitum; ita illam secundum *usu* *loquendi* informare tanto magis nobis erit integrum, quanto pleniorum iste ac certiore uocis notionem sumministrat. Vnde igitur angustior HEINECCI significatus manarit, satis, ut mihi uidetur, ex neglecta *proprietate civili* eluet. Nisi enim potestatem uocis *iuris* ad solam obligationem externam restrinxisset, actiones iustas cum obligatione interna, quae nos ad actions IVRI NATVRAE consentaneas commouet, facile in concordiam redigere potuisset. Eadem praeconcepta opinio Viri Summi sic abduxit animum, ut obligationem internam ad IVRIS NATVRAE firmando neruos idoneam negaret, qua de sententia nunc agemus.

FORSAN autem ipse suismet telis oppugnari poterit, si ex concessis disputare instituero. Laudat HEINECCIVS *i) speciem obligationis internae ideo nobilissimam*



mam, quia sapientes et probi viri illam sequantur, uel,
ut HORATIVS k) canat, *oderint peccare boni virtutis amore.* Immo laudibus adstipulatur, quibus antiquissimi
scriptores homines mundi nascentis ornarunt, propterea
quod sua sponte et sine lege iusta rectaque peregerint.
Quid imagine pulchrius OVIDIANA? l)

*aetas aurea uindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant, nec uerba minacia fixo
Aere legebantur, nec supplex turba timebant
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuta.*

Hoc ipso autem argumento, si inuertatur, tota fere dubitatio HEINECCI mihi uidetur solui atque remoueri. Si enim obligatio interna sapientes et probos ad actiones iustas satis permouere potest, quidni illa officiis naturalibus inculcandis sufficiat? Hominum sane facinoribus IVS NATVRAE non est diiudicandum, sed officia in illo omnibus praescripta ponderari debent, quae naturae humanae adeo sunt propinqua atque consentanea, ut hominem per se obligare satis queant. Quod de reliquis disciplinis ualeat, id sine errore ad IVS NATVRAE, quatenus tanquam scientia consideratur, accommodare licet. Disciplinae nimurum res in abstracto seu generativi contemplantur, quid fieri

k) L. I. Epist. XVI.

l) METAMORPH. I. 89. sequ.

fieri debeat, quaerentes, non, quid fiat. Sumas scientiam, quae actiones in societate ciuili obseruandas demonstrat, ac nomen POLITICAE inde accepit. Haec non tractat resplicas, quae sunt, sed potius ostendit, quid in republica quavis bene constituta agendum sit atque fugiendum, nisi uelit in Machiavelli castra migrare, qui principes pingit, quales fuerunt, non, quales debuerunt esse, tyrannos magis, quam rectores populorum, cacodemonis, non Dei personam sustinentes. Mores igitur ac consuetudines in ciuitatibus receptas HISTORIAE STATTIVVM relinquunt. Eadem ratione IUS NATVRAE docet officia, quae omnibus hominibus in statu naturali sociali que competit, ac rationibus ab ipsa naturae humanae conditione desumitis illa inculcat. Quamuis igitur homines, naturae suae inimici, his electi atque emendari nequeant; illa tamen prudentiores ad perfectionis suae studium rite prosequendum facis erudiunt atque impellunt, quia hi uirtutis amore ducuntur, ut legibus naturae obsequantur. Itaque HEINECCIVS, hoc semel concessio, semet confusasse mihi uidetur, siquidem obligatio, quae sapientibus et probis sufficit, omnino IURI NATVRAE, quod isti adimplere student, par censi debet.

NE autem rationes, quas Vir Summus pro stabilenda sententia sua non sine ueri specie adduxit, sicco pede



praeterire uidear, robur illarum, quantum fieri potest, excutiam. Primo normam obligationis internae, quam in bonitate actionis posuerat, maxime incertam, normaeque adeo nomine indignam esse urget. Esse enim in praecipuis normae dotibus, ut certa sit atque indubitata, quod alioquin euidens boni malique criterium non praebeat. Quod sibi tanto firmius persuasum haber, quo saepius experientia, homines bonum apparens aequa ac uerum eligere, comprobare soleat. Quapropter sola bonitate actiones in utramque partem iudicari non posse, quae saepius sit imaginaria, quam uera. Si hoc aduersarii argumentum robore suo denudari debeat, species *certi* accuratius erunt dispungendae. Manifesto enim *certum*, quod uocatur *objecitum*, cum *subiectu* illud commisceret. Haec uero bene sunt discernenda, propterea quod aliquid in se certissimum facile pro incerto haberi potest ab illo, qui rem leui animo ponderare consueuit in uehementi praefertim commotione animi, aut criteria *certi* atque *incerti* prorsus ignorat. Si igitur de *certo* obligationis internae quaestio instituitur, certum *objecitum* a *subiectu* separari oportet. Certitudo uocatur *objecita*, quae in re ipsa inest, quod ipsa rei natura dubitationes tollit omnes. Sic Geometrarum praecepta sunt certissima *objectione* ac *per se*, quia demonstrata firmiter, omnes remouent scrupulos.

los, ut, si contrarium sumere uelis, repugnantia statuas.
 At non ideo certitudine semper *subiectiva* gaudent, quia
 robur demonstrandi non capitur ab omnibus explorata ra-
 tione, certitudo uero *subiectiva* in mente cognoscentis re-
 peritur. Quid contra Geometras olim non tentauit **SEX-**
TVS EMPIRICVS, quid non **HOBESIVS** molitus?
 Transferamus haec in rem praesentem. Obligatio, quae
 in ipsa actionum conditione rationem habet, non potest
 non sua natura esse certa. Habet enim rationem in
 actionis essentia ad animi nostri indolem relata. Natura
 enim auersamur malum, quia nos ipsos amamus, ideoque
 noxia quaevis a nobis auertere studemus. Quum uero
 bonum apparet re ipsa malum sit, fatente **HEINEC-**
CIO, m) obligatio interna ad illud pertinere nunquam pot-
 erit. Sola igitur uera bona obligationem internam secum
 ferunt, quam ideo nunquam incertam uocare licet, quod
 actionis ipsius consideratio, ex eius consecutionibus institu-
 ta, declarat nullo negotio, ea nos conseruari ac perfici.
 Sin **HEINECCIVS** normam *subiective* incertam respicit,
 quod ut credam, moueor inde, quia stultos ac sceleratos
 hac norma regi negat posse, miror, Virum tantum ideo
 obligationi internae minus, quam par erat, tribuisse. Nul-
 la enim norma, siue diuina siue humana sit, ita certa apud
 omnes

m) l. c. §. III.

omnes pronuntianda erit. Quam incerta est ipsa Scriptura sacra in uariis sectis, quarum singulae opiniones suas ex hoc libro diuino defendere student? Quid hic respondebimus Deistis, Scripturam incertam clamantibus, quod omnes ad eam familiae prouocent, si normae dignitas ex hominum perspicientia pendet? Quot quamque uariae legum ciuilium interpretationes ex dubia illarum cognitione ortae sunt? Num leges hanc ob caussam regulae perdunt officium? Quid? quod ne uoluntas quidem Dei, quam HEINECCIVS ⁿ⁾ certissimam actionum humana- rum omnisque obligationis naturalis normam probat atque uindicat, *subiective* certa dici poterit, quia multi ad uoluntatem diuinam reuocant, quod Deus neque per rationem, neque per reuelationem nobis mandauit. Vota Ecclesiac Romano Pontifici addictae monastica luculentum huius rei argumentum praebent, quae doctores huius coetus pro actionibus diuinitus imperatis ac statu perfectio- nis uenditant, licet illa humanis praeceptis ab ipso Spiritu Sancto annumerentur. Ambabus igitur HEINECCIO concedo, normam quoque obligationis internae quam ma- xime incertam esse putandam, si hominum actiones spe- ctentur, quae omnino bona apparentia saepissime sestan- tur. Num uero criterium boni malique ad opiniones ho- minum

ⁿ⁾ l. c. §. LXII.

minimum licebit exigere? Quis ex actionibus hominum admodum diuersis certum uel incertum obligationis internae ritte ponderare atque diiudicare poterit? Actiones liberae per se, quales in IVRE NATVRAE uel imperantur, uel prohibentur, nobis sunt considerandae, si normam obligationis internae certo determinare uolumus.

SED conuerto me ad alteram rationem, qua HEINEC-CIVS sententiae suae fidem conciliari autumat. Interna scilicet obligatio hanc quoque ob causam IVRI NATVRAE non sufficere ipsis uidetur, quia illa stultos et uitiosos homines in officio continere nequeat. Pergit enim o) his uerbis: *At sufficere illam, internam uero obligationem per antecedentia intelligit, negamus, quia quaerimus ius naturale improbis et bonis, stultis et sapientibus commune, ut, si quos ratio continere in officio non possit, obligatio saltem externa, uel quod eodem recidit, periculi metus efficiat,*

Ne uaga profiliat fraenis natura remotis.

At uero AVTOR clarissimus neque hoc argumento efficit, ut uis obligationis internae in IVRE NATVRAE infirmetur. Doctor enim huius disciplinae statim quaeret, cum a profligata hominum malitia ad defectus obligationis internae concludere liceat? Leges quidem naturae omnibus hominibus per rationem innotescunt, ut secundum illas agere possint, si rectam rationem sequi uelint. Haec enim omnes edocet, cur bona aetiones sint committendae, malae uero omittendae. *Quodsi homo rationes mouentes,*

C

o) in Scholio §. VIII.



tes, quae ipsis actionibus continentur, attendere detrectat, obligatio interna nihil omnino apud tales efficere potest, qui uinculo legum naturalium magis cupit esse solutus. Nihilo tamen secius efficacia obligationis internae in hominibus probis manet salua, quos ratio in officio semper continet. Quum uero stulti atque improbi fraena naturae recusant, ferocitas eorum poenis ciuilibus reprimi atque coerceri debet. Humanis enim legibus nunquam sponte obsequuntur, qui aequitatem naturalem repudiant. Metus uero poenarum, quibus ciues immorigeri affligi solent, tales ad obsequium cogit. Itaque in hoc consistit obligatio externa, quae homines, effecta obligationis internae impedientes ac supprimentes, ad officium redigit. Si uoluntas autem diuina norma obligationis externae in IVRE NATVRAE CUM HEINECCIO ponitur, erit facile mihi concedendum, ne hanc quidem obligationem externam hominibus profanis sufficere, de eo parum sollicitis, quid Deus legibus naturae mandarit, aut quibus interdixerit. Ita omnis obligatio in IVRE NATVRAE uana atque irrita fieret, si uis eius ex moribus stulti atque improbi hominis cognosci atque expendi deberet. E contrario actiones sapientis ac probi sufficienter declarant, quid utraque obligatio in IVRE NATVRAE efficere queat. Talis enim homo, rationem obsequii, quod IVRI NATVRAE praestat, tam a voluntate legislatoris diuini, quam ab ipsa conuenientia, uel pugna actionum cum natura hominis sumens, obligationi internae patiter

riter atque externae satisfacere studet. Ecquae scientia, quid stultis et uitiosis placeat, solet obseruare, contenta sapientum honestorumque hominum suffragiis? Rideret me sane Medicus, si regulas eas, quibus uictum moderatur hominis, sufficere negarem, quod iis intemperantes resisterent. Quid sanitati conueniat hominis, per se animaduertit, eoque consilio praexcepta dat, quamvis non sint ad hominum plororumque palatum, uentri obedientium. Eodem se modo gerit, IVRIS NATVRAE doctor. Quid consentiat cum hominis natura, uidet, indeque uoluntatem Dei colligit ratiocinando, consceleratos autem uel stultitiae suae, uel poenis ciuilibus relinquit. Quibus rationibus scrupulos, quos HEINECCIVS de obligatione interna in IURE NATVRAE non sufficiente mihi ipsi primo iniecerat, facile expediri, ac penitus tolli posse existimo. Quum enim obligatio interna in se obiective certa sit, atque omnibus, qui recta ratione ducuntur, satisfaciat, argumenta aduersarii doctissimi, ab incerta huius obligationis norma, et imbecillitate in stultis et improbis hominibus permouendis ducta, corruunt, omnemque roboris speciem amittunt.

PROPTERA mihi semper placuit acuta illius Peripateticī ueterum Philosophi ANDRONICI RHODII sententia, quae his uerbis concepta legitur in eius PARAPHRASI NICOMACHORVM ARISTOTELIS: p) παρ' αὐθεωποις τοῖς τε οφέσις καὶ τυγχανεῖσχετι, εἴτι δικαιου ἀκινητού, ο φυσικὸν λεγεται. Εἰ δὲ τοῖς νοστοῖς τας Φρενεας καὶ διεπεμψενοις & δοκει δικαιου, γάδει διαφέρει. Οὐδε

C 2

γαρ

p) V. 10.



γερ ο λεγων το μελι γλυκι εινα φευδεται, διοτι τοις νοσεσιν ε τοιστον
δοκει. *Apud homines recta sanaque mente praeditos immu-*
tabile est ius naturae. Quodsi morbois et peruersis animis
aliter videtur, nihil ad rem perinet. Nam non mentitur,
qui mel dulce vocat, propterea quod aegrotis aliter videatur.
Sine dubitatione ANDRONICVS tam bene eruditus erat
ab ARISTOTELE, de cuius scriptis nouimus illum insigni-
ter fuisse promeritum. Hic vero grauissimus Iurispruden-
tiae naturalis praeceptor strictim recteque iudicat, δει δε
σκοπει, scribens, q) εν τοις κατα Φυσιν εχουσι μολλον το Φυσει,
και μη εν τοις διεφθαρμενοις. Vis naturae potius spectari debet
in illis, qui secundum naturam se gerunt, quam in depraua-
tis hominibus. Quin, quod maioris facio, ipsos Libros Sym-
bolicos a me stare, cerno. Nam sacerdotum coniugium
MELANCHTHON IN APOLOGIA A. C. r) defensurus, hac
obligatione interna nititur. Cum ius naturale sit immuta-
bile, necesse est semper manere ius contrahendi coniugii. Nam
vbi natura non mutatur, necesse est, et illam ordinationem
manere, quam Deus indidit naturae, nec potest legibus huma-
nis tolli. Ridiculum igitur est, quod aduersarii nugantur,
initio fuisse mandatum coniugium, nunc non esse. Hoc per-
inde est, ac si dicerent: Olim nascentes homines secum attule-
runt sexum, nunc non afferunt. Olim secum attulerunt ius
naturale nascentes, nunc non afferunt. Nullus faber fabrili-
ns cogitare quidquam posset, quam hae ineptiae excogitatae
sunt, ad eludendum Ius Naturae. Quam bene igitur uete-
rum

q) πολυτικ. L 5.

r) Artic. XI. p. 238.

rum Sapientum praeceptis, monumentisque coetus nostri publicis respondet sententia, HEINECCIO his pagellis opposita, qua data probare studuimus opera, obligationem internam, quae sapientibus ac probis satis est, in IVRE NATVRAE quoque sufficere.

SIQVID tandem efficaciam obligationis internae in hominibus, qui mentem suam doctrina et uirtutibus ornant, certo argumento confirmat, studium est laudis atque gloriae, qua illi dignos se reddere allaborant. Bona enim existimatio, quae in benigno aliorum de perfectionibus nostris iudicio consistit, non est minimum ipso IVRE NATVRAE remedium felicitatis nostrae assequendae, conservandae atque amplificandae. Interna igitur obligatione uiri sapientes ac probi non possunt non ad studium solidae ueraeque gloriae compelli. Lewis enim est animi, uti grauiter iudicat CICERO, s) lucem splendoremque fulgentis, iustam gloriam, qui est fructus uerae uirtutis honestissimus, repudiare. Quum uero optimus quisque maxime gloria ducatur, idem CICERO t) merito irridet, ac falsissime perstringit Philosophos Cynicos, ceterosque Epicuri atque Zenonis familiae adscriptos, qui in illis libellis, quos de contemnenda gloria scripsierint, nomen suum inscripserint, propterea quod in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciant, praedicari de se ac nominari uelint. Utinam TVLLII nostri libri duo de gloria conscripti, quorum ipse mentionem fecit, u) adhuc superercent!

Quan-

s) Orat, in Pison. c. LVII.

t) Orat, pro Arch. poet.

u) de Offic. L. II.

Quantos quaeso uerae laudis atque gloriae stimulos nobis
subderet? At lenit hoc desiderium Scriptor ob styli ele-
gantiam *Cicero Lusitanus* dictus HIERONYMVS OSORIVS
libris quinque de gloria confessis. Horum igitur doctissi-
morum virorum prudens consilium aequo accipiatis ve-
lim animo, CANDIDATI SAPIENTIAE ARTIVM QYE
PRAESTANTIVM NOBILISSIMI. VOBIS enim, quot-
quot VESTRUM, Laureas sive Philosophiae, sive Poeticae,
doctrinae uitaeque honestissimae commendatione exposci-
tis, haec sapientiae atque uirtutis insignia, autoritate pu-
blica ad id officii constitutus, omni, qua par est, humani-
tate defero. Agite dum VESTRA mihi nomina rite pro-
fitemini, meque VOBIS persuadete facilem VESTRAE uo-
luntatis interpretem, ac VESTRAE dignitatis amplificato-
rem fore prouintissimum. Quod igitur felix, bonum, fau-
stumque sit, honores summos, ingenii uaria liberalique
disciplina excultis ipsa Imperatorum autoritate decretos, ri-
tu solemni atque in publico AMPLISSIMORVM VIRO-
RVM confessu futuro die septimo decimo Octobris, qui di-
es est ex fastis Romanis XVI. Calendas Nouembres, distri-
buam. Deum uero supplex rogo, ut negotium, quod IN-
DVLGENTISSIMI PRINCIPIS NOSTRI ELECTORIS
SAXONIAE SERENISSIMI gratia, et consensu Patrum
Conscriptorum huius Academiae suscipio, diuino praesidio
fortunare, ac in gloriam nominis sui reique publicae tam
sacrae, quam literatae emolumentum uergere iubeat.

P. P. FESTO SS. TRINITATIS A. R. S.
CIC 10 CCLXIV. X

ULB Halle
003 770 109

3



SB





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

14
ORDINIS PHILOSOPHICI

IN
ACADEMIA WITTEBERGENSI
H. T.

29
1764 9
DECANVS
IOANNES AEGIDIUS
STRAVCH

PROF. IVRIS NATVRAE ET GENTIVM PVBL.
ET FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORDIN.
NOBILISSIMOS DOCTISSIONSQUE
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATOS

AD
SVMMOS PHILOSOPHIAE AC LAVREAE
POETICAE HONORES

1764
XVI. CALENDAS NOVEMBRES
CA P E S S E N D O S
HVMANISSIME INVITAT
PRAEVNITA BREVI COMMENTATIONE
DE OBLIGATIONE INTERNA IN IVRE
NATVRAE SVFFICIENTE

WITTEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTLOB EICHSFELDI
ACADEMIÆ A TYPIS

KÖNFIRED
UNIVERS.
ZVHALLE